CAPUT I.

Precariarum bona officia erga Ecclesias exponuntur.

I.

COmmentatores Decretalium GREGORII IX. vulgò connectunt titulum 14. libri 3tii, de *precariis*, cum titulo præcedenti, *de reb. Eccles. alienandis, vel non*, per hoc, quòd precaria sit modus *alienandi*, seu *abdicandi*, saltem ad tempus, *usumfructum* prædii ecclesiastici. *

*Et quidem primo loco inter contractus eam collocant; fortassis ideò, quia contractus iste verè fuit *canonicus*, jure Codicis quidem cognitus, in commercio tamen civili inusitatus, & solis Ecclesiis proprius, ab initio magis Cathedralibus & parochialibus, medio autem ævo plùs monasteriis, quàm Clericorum collegiis; quanquam etiam præstò sint pro his precariarum exempla apud duos viros in re historicâ & diplomaticâ illustrissimos, quorum *alterum* Mutina hoc anno amisit, alterum Treviris diu servabit, MURATORIUM videl. *Antiquit. Ital. Tom.* 3. *pag.* 149. & HONTHEMIUM *Hist. diplom. Trev. Tom.* 1. *pag.* 275. 276. 301. 570. 643.

II.

EQuidem contra nubem Authorum contentiosus esse nolo, ut precarias ad *modos alienandi* bona Ecclesiæ *suo modo** pertinere prorsùs negem: sed, cùm priùs sit *acquirere*, quàm *alienare*, & bonus œconomus æque intendat modis *acquirendi*, quàm evitet modos *amittendi*; quis scit, an non S. juris nostri Compilator clericis ac monachis post titulum 13.mum ostendere voluerit etiam *modos acquirendi*, invenerítque ex historiâ, meritò principem inter hos locum dari debuisse precariis? **

* Nempè quatenùs improbitate vel oblivione hominum res precariata post temporum devolutiones magnas induere poterat figuram patrimonii, & sic avelli ab Ecclesiâ: cui tamen periculo sacri Canones obviam ivêre satis.

** Si enim laici perrexissent eo fervore, quo inceperunt ante annos mille, precarias facere Ecclesiis, jam nunc ferè omnes forent coloni Ecclesiarum.

III.

NAm sæpenumero Ecclesia de præhabitis suis prædiis nihil reciprocè dabat offerenti rem suam laico, sed absque ullo redhibito temporali lucrabatur *

* Multi laici res suas *pro remedio animæ* piè & gratis obtulerunt collegiis & monasteriis, *sub reservatione precarii juris ad dies vitæ.* Hujusmodi oblationes fecêre in *cit. Hist. diplom.* Tom. 1. pag. 127. Egidius, ùt putatur, Comes Andegavensis, & pag. 131. Sigefridus monachis Prumiensibus. Pag. 289. Bovo, pag. 291. Liutgardis, pag. 297. Voda comitissa, pag. 333. Sigefridus Comes, pag. 334. Irminardus San-Maximinianis. Clausula ferè talis erat: *eà tamen ra-*

ratione, ut ager, quàmdiu vixero, meis utilitatibus succumbat, post obitum verò meum plenâ & perfectâ possessione ad cœnobium appendeat. Interdum apponebatur insuper hæc clausula: *Si verò post obitum meum vel ejusdem monasterii abbas, vel alia aliqua persona eundem locum in beneficium, aut precariam alicui dare tentaverit, idem prædium in jus hæredum meorum redeat,* veluti pag. 291. quâ prohibebatur datio ulterior in precariam.

I V.

ET Ecclesia, cùm subinde alterum tantum, subinde duplum tantum ususfructûs laico assignavit, ad speciem visa perdere, reipsâ lucrabatur, successoribúsque optima quærebat augmenta pro carentiâ præsenti. *

* Unde Reverendissimus & Illustrissimus HONTHEMIUS noster *Tom. 1. Hist. dipl. dissert. in sæc. VIII. §. 2.* inter causas, quibus Ecclesiarum opes augebantur, rectè numeravit precarias: Et verò, qui chartas ab eo editas perlustrat, cernet, quantas terras acquisiverit vel sola abbatia S. Maximini mediante hoc contractu. Fatetur hoc ipsum Abbas VOLEMARUS in literis de anno 996. *Nos verò utilitatibus monasterii nostri, successorúmque nostrorum consulentes, detrimentúmque penuriæ nostræ præ illorum commoditate parvi pendentes, præfatis petitionibus aures nostræ consensionis accommodavimus.* Fatetur ROTHBERTUS Archi-Episc. Trevir. in diplom. anni 955. *Cùm per temporalem divinæ religionis precariæ statutionem Ecclesia solito ditaretur more.* Adde POPPONEM Archi-Ep. in precariâ Kadeloni comiti datâ initio Sæc. XI. *Unde inprimis Episcopalis sedis prædia adaugerentur, & cum quibus augmentis &c.*

V.

AC licet ad tempus aliquod careret monasterium utilitate sui prædii, revertebatur tamen hæc certò finitâ precariâ, unà cum prædii, à precaristâ vice versâ quoad proprietatem donati, plenâ ac perpetuâ perceptione: *

*Ne

* Ne quid de censu annuo dicam, quem ferè ab omnibus precaristis, etiam iis, qui nullâ vice receptâ offerebant sua, sibi stipulabantur Prælati Ecclesiarum. Inspice chartas *hist. dipl. Trev. pag.* 131. 141.

V I.

UNde precarias non lego prohiberi ab ullo canone, nec alias, quàm, quæ *irrationabiliter* * factæ sunt, improbari: his solis stare successores non tenebantur, nec pœnam adjectam præstare. **

* Nempè cùm nec charitas erga pauperes eam suadebat, neque utilitas Ecclesiæ, sed caro & sanguis, vel respectus humanus, aut potentiorum importunitas. In solatium egenorum constitui poterat precaria gratis: parùm enim referebat, quâ ratione indigentes ex patrimonio Ecclesiæ alerentur, pensione, an fructu certi alicujus prædii assignato. Clericis solebat dari velut stipendium pro servitio Ecclesiæ impenso. *Can.* 72. *XII. q.* 2. Aliis verò nonnisi ad normam *Nov.* 120. *cap.* 2. nempè *ut aliam rem mox dominii jure præbeant Ecclesiæ, tantum habentem reditum, quantum habent res, quæ ei datur.* Quæ Justinianæa constitutio prælusit ordinationi Concilii Meldensis de anno 845. cap. 22. relatæ in *cap.* 4. *X. q.* 2. intelligendæ tamen de iis duntaxat precariis, quæ fiebant facto Prælatorum Ecclesiæ, non de aliis, quæ authoritate Regum in favorem militum. Discerni hujusmodi jubet ab invicem Capitulare Caroli M. 166. quod ex Codice Cathed. Mutin. restituit MURATORIUS rer. Ital. Tom. 1. part. 2. pag. 113. in not. *Sit discretio inter precarias de verbo dominico factas, & inter eas, quas Episcopi & Abbatissæ eorum arbitrio vel dispositione faciunt.*

** PALEA in Can. 6. X. q. 2. quæ transivit in granum per cap. 2. ✠ de precar. quanquam compilator non se ostendetit in crisi canonicâ versatum, dum canonem adscripsit Concilio Carthaginensi, qui potiùs est lex 2. Longobardorum lib. 3. tit. 10.

V I I.

CÆteræ omnes non permittebantur modò fieri, sed im-

imperabantur adeò Prælatis, * qui proinde poterant eas absque solemnitatibus concedere, **

* Can. 11. XVI. q. 3. in verbis: *ne videantur Episcopi precarias, CUM ORDINATI SINT, facere non debuisse:* quæ quidem videntur obscuriuscula; sed clara erunt, modò cogitemus, Concilium Agathense probare eo loco præscriptionis exclusionem *ab absurdo*, ex præscriptione secuturo, scilicet, si precariam habens posset ullo tempore præscribere: ergo non deberet Episcopus facere id, quod ordinatus, i. e. *jussus* est facere, videlicet precariã, precariarum itaq; factio est mandata Episcopis, tanquam manifestè utilis Ecclesiæ.

** Precariarum omnium primæ fuerunt vel *eleemosynæ*, pauperibus assignatæ: vel *stipendia* clericalia: quod his dabatur in usum fructum, non censebatur alienari, quia & pauperibus & clericis debebatur suum. Deinde succedebant precariæ aliis quoque concessæ, quàm pauperibus & clericis: ad has nihil aliud requirebatur, quàm vel authoritas Regia, vel Prælati cum rationabilitate, quæ abesse non potuit, si modus à *Canone* 4. *X. q.* 2. præscriptus observabatur. Rectè THOMASSINUS *V. & N. E. D. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 3. statuit duplicem precariarũ classem, quarum *aliæ* novos Ecclesiæ agros adjiciunt, novas accumulant opes, *aliæ* uni pauperum serviunt utilitati. Ad quas ex istis desiderabis, quæso, solemnitates? Passim legitur in chartis, quòd Abbates cum sui conventûs assensu (in vim systematis, quod habebant, œconomici requisito) precarias fecerint, *absque authoritate Episcopi*, quam tamen in rebus Ecclesiæ alienandis jam anno 538. desideravit Concilium Aurelianense *relat. in Can.* 41. *XII. q.* 2. vix est, ut Episcopi consensum Capituli vulgò adhibuerint, quem tamen cæteroquin in alienationibus decreto Leonis Pap. an. 447. jubebantur adhibere *can.* 52. *ead.* Canonicorum subscriptiones occurrunt rarò. Inter tot precariarum formulas, quas exhibet historia diplomatica Trevirensis, una est *pag.* 392. eáque famosissima, quam & BROWERUS lib. 11. num. 112. refert, confecta inter Eberhardum Archi-Ep. Trevir. & Comitem de Arlo, in quâ consensus Imperatoris, Advocati Ecclesiæ Trevirensis, & Cleri legitur intercessisse. Sed *extraordinaria* hæc erat & majoris momenti, tum

pro-

propter insignes terras, Comiti in precariam cessas, tum propter extensionem precariæ ad filios.

VIII.

NEque Jure Decretalium, * aut Sexti, ** aut Extravagantis *Ambitiosæ* inter com. *de reb Eccl. non alien.* *** ligari putem manus Episcopo vel Abbati, quò minùs hodiéque sub modo ac lege à sacris canonibus præscriptâ, impertiri valeat precarias **** *absque solemnitatibus.*

* Jure Decretalium, quid nomine alienationis veniat, exponit *Cap. 5. de reb. Elect. non alien.* Altum ibi silentium de precariis: Unde æquè parùm prohibitæ, vel ad consensum Capituli adstrictæ sunt, ac emphyteusis *temporalis*, & hypotheca *generalis*. Tunc solùm habetur pro dissipatione, cùm facta est *irrationabiliter. Cap. 2. h.t.*

** Jure Sexti *Cap. 1. d. t.* requiritur tantùm tractatûs solemnitas in concessionibus *perpetuis*, cujusmodi non sunt precariæ, abeunt enim terræ tantisper quoad commoditatem, ut paulò post revertantur aliâ terrâ comite ejusdem reditûs *Cap.* verò 2. eod. potissimùm vetat *submissiones* bonorum Ecclesiæ laicis faciendas, recognoscendo hæc ab illis tanquam superioribus: quò rursùm non pertinent precariæ.

*** Extravagantem *ambitiosæ* condidit Paulus II. anno 1468. quo tempore jam exspiraverat usus precariarum, ut adeò eundem sub nomine alienationis, sicut locationem conductionem ultra triennium complecti opus non fuerit: maximè cùm in se potiùs fuerit modus acquirendi.

**** Aliud foret de illis, ubi precarista tantùm recipit, nihil dat. Hujuscemodi enim largitiones debebant ex lege Conradi Salici de anno 1039. fieri de consensu Cleri. Vide GOLDASTUM *Constit. Imp. Tom. 3. pag. 312.*

IX.

EX eo verò, quòd ab omni usu nunc emigraverit iste contrahendi modus cum laicis, * malè argueretur id pro-

propter jura posteriora minùs huic negotio propitia accidisse. **

* Precariæ sunt antiquiores ævo Clodovæi, ùt vel constat ex *l.* 14. §. 5. *Cod. de sacros. Eccles.* quæ totis 16 annis præcessit Clodovæi Baptismum. BEATUS RHENANUS *lib.* 2. *de Rer. German.* non scribit originem earum primam, sed occasionem, quâ invaluerint apud Francos. Floruerunt autem sæculo VII. VIII. IX. X. XI. Sæculo XII. XIII. XIV. rariores erant: GREGORIUS IX. *in Cap.* 3. *h. t.* satis hoc innuit per verba: *precariæ, quæ QUANDOQUE de Ecclesiarum possessionibus fieri solent.* quæ suis quoque institutis inseruit LANCELLOTUS *lib.* 2. *tit* 27. §. 5. sed videtur potiùs ex textu Gregoriano locutus, quàm ab experientiâ sui temporis. In *Reliquiis* M. S. LUDWIGII *Tom.* 6. *pag.* 451. invenio precariam adhuc anno 1349. Substituebantur verò iis, referente Thomassino, jam ante tempora INNOCENTII III. contractus *ad firmam*, de quâ *Cap.* 2. ⁞ *de locat.*

** Variæ quippe aliæ causæ potuerunt in desuetudinem abduxisse precarias. e.g. (1) Massæ pauperum perditio. (2) abusus, in quem precarias trahebant laici. (3) infeudationes bonorum Ecclesiæ precariis surrogatæ. (4) Incommoditas colendorum fundorum, & hinc (5) substitutum otium *contractûs vitalitii*, seu *imprebendationum* in monasteria, quæ hodienum apud nos extant haud infrequentes. (6) Amor familiæ, seu illorum, qui ab intestato successuri erant. (7) Refrigescens laicorum fervor donandi ita monasteriis, & Ecclesiis: negari enim non potest, (quod benè observat P. MOLINA *de J. & J. Tom.* 2. *tract.* 2. *disp.* 388.) in precariâ *sæpè intervenisse donationem* ex parte *accipientium*, qui ex devotione erga Ecclesias, atque in eleëmosynam pro animâ suâ longè plus reliquerunt Ecclesiis post mortem suam, quàm fuerit subsidium sustentationis, ad tempus vitæ impetratum. Hujuscemodi largitatibus jam pridem inferias cecinit avaritia & luxus. (8) Verisimile est, Canonicos noluisse suis portionibus aliquid detrahi in majus successorum commodum.

X.

X.

Als verò: si jura tam sunt propitia precariis, quidni eas in usum reducemus pro terris saltem illis, in quibus non licet ampliùs Collegiis & monasteriis acquirere bona immobilia civium sub pœnâ perpetui retractûs popularis? *

* Cujusmodi statuta patriæ nos Treviri habemus: primum emanavit anno 1655. alterum 1656. sub ELECTORE CAROLO CASPARO à PETRA: Utrumque exhibet *Hist. diplom. Trevir. Tom.* 3. *pag.* 704. Innovatæ sunt istæ Ordinationes per ELECTOREM CAROLUM LOTHARINGUM anno 1713. in dem Erneurtem Land-Recht tit. 3. §. 13. & seqq. Toto die sententiis & præjudiciis Consistorialibus in praxin reducuntur, adeò, ut subditi Trevirenses de viridi observantiâ conqueri non possint.

XI.

OBstant his desideriis piis statuta patriæ nostræ, * à piissimo, & Ecclesiarum notoriè amantissimo Principe cum consensu Reverendissimi & Illustrissimi Capituli Metropolitani condita, à Successoribus in Ecclesias munificentissimis pro bono subditorum retenta, gravissimis rationum momentis suffulta, quibus obmussitare si quis auderet, jure merito insectationi fiscali se redderet obnoxium.

* Ordin. de anno 1655. in verbis: oder durch donation und præbend erlangen/ oder aber unterm anderen titul an sich bringen wollen. Statuta patriæ de anno 1713. §. cit. quocunque titulo an sich bringen wollen. Cúmque ex retrò-deductis precaria sit via acquirendi opportunissima, proinde lapsu sesqui-sæculi plurimos agros vineásque incorporare posset Ecclesiis, illæ in mente legislatoris vel maximè comprehenduntur, ne pallia & prætextus contra saluberrimas

mas constitutiones subtili ingenio excogitentur ; & regula juris 83. in 6. violetur, quæ statuit, *ne, quod alicui unâ via prohibetur, ad id aliâ admittatur.* Quare s. m. existimo, ne quidem tunc excludi retractum nostrum Trevirensem, cùm pro Missis anniversariis (ùt sæpè factum est) precaria constituitur : quia pactis privatorum non tollitur jus publicum. *Cap.* 12. ⁂ *de for. comp.*

CAPUT SECUNDUM.

Vera precariarum idea traditur.

I.

IN statuendâ Precariarum definitione non adeò felices sunt AA. * Alii dedêre alias, plerumque vocibus, ad naturam rei definitæ impertinentibus, infarctas, penéque halitu ac memoriâ superiores. ** Alii cum Hostiensi & Glossâ *precariam* singularis, & *precarias* pluralis numeri distinxerunt. ***

* Nulli AA. scripsêre meliùs, quàm qui tabulas Archiviorum ob oculos habuêre: Hos inter excellunt BALUZIUS, & qui cum eodem impressi sunt ad Capitularia Regum Francorum, DU FRESNE seu DU CANGE in Glossario, MURATORIUS *Antiquit. Ital. Tom.* 3. *pag.* 149. *& Rer. Ital. Tom.* 1. *part.* 2. BOEHMERUS *Jur. eccles. protest. ad tit.* 14. *libri* 3. HONTHEMIUS in notis ad varias chartas precariarum. Ex talibus eruatur genuina idea, non ex iis, quêis historia peregrina fuit æque ac ars diplomatica, quíque propterea aliò diverterunt operam, nempè, ut explicarent, *quid sit precarium juris civilis, & quomodo differat à precariis canonicis.*

** Tres delibemus. FRANTZKIUS civilista *tract. de Laudemio* cap. 12. n. 15. hanc consarcinat : *Precaria est cessio usûsfructûs rei immobilis, vel potiùs jus utendi fruendi, quod conceditur ei, qui Ecclesiæ rem suam donavit, aut liberis ejus, vel in eâ re solâ, vel in aliis rebus Ecclesiæ, vel tam*